67

S. D. N.
PAVLI PAPAE V.

Confirmatio

Priuilegiorum, & Indulgentiarum Ordinis Fratrum Iesuatorum S. Hieronymi.



PAVLVS PAPA QVINTVS

Ad perpetuam rei memoriam.

INIVNCTI nobis Apostolici muneris ratio postulat, vt Sacrarum Religionum in Militanti Ecclesia suaues in Domino fructus assiduè præstantium, paternam curam gerentes, Priuilegia, gratias, & indulta illis à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & Apostolica Sede concessa, quo validius perpetuò subsistant, Apostolicæ confirmationis robore libenter communimus. Volentes igitur vniuersum Ordinem Fratrum Iesuatorum Sancti Hieronymi, eiusq; Fratres vniuersos, specia-

libus fauoribus, & gratijs prosequi, ac eorum vniuersos, & singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati exsistunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, Supplicationibus pro parte dilecti filij Procuratoris Generalis dicti Ordinis, nobis humiliter porrectis inclinati; Omnia, & singula Priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogatiuas, fauores, conseruatorias, declarationes, facultates, dispensationes, concessiones, Indulgentias, gratias, & indulta spiritualia, & temporalia eidem Ordini, eiusq; Domibus, Monasterijs, Ecclesijs, & locis Regularibus, ac Confraternitati sub inuocatione nominis IESV, in eorum Ecclesijs institutæ, & pro tempore instituendæ, eiusq; Confratribus, etiam Laicis vtriusq; sexus per fel. rec. Vrbanum VI. Bonifacium IX. Martinum V. Eugenium IIII. Nicolaum V. Calixtum III. Pium II. Sixtum IIII. Innocentium VIII. Alexandrum VI. Iulium II. Clementem VII. Leonem X. Nicolaum III. Gregorium XII. Adrianum VI. Paulum III. Iulium etiam III. Paulum IIII. Pium etiam IIII. Pium V. Gregorium XIII. Sixtum V. & Clementē VIII. & quoscumq; alios Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac per Nos, etiam nouissimè de promouendo ad Sacros Ordines certum eiusdem Ordinis Religiosorum numerum, & Apostolicam Sedem, sub quacumq; verborum forma, & expressione in genere, vel in specie, aut alias quomodolibet concessa, ac pluries confirmata cum omnibus, & singulis in eis contentis, clausulis, decretis, & declarationibus, ac singulas literas, tam sub Plumbo, quàm in forma Breuis, aut alias desuper confectas, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, quatenus tamen sint in vsu, & non sint reuocata, seu sub aliquibus reuocationibus comprehensa ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos, tam iuris, quàm facti defectus, si qui in eisdem interuenerint, supplemus. Quocirca Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, alijsq; locorum ordinarijs quibuscumq;, necnon dilecto filio Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori, per præsentes committimus, & mandamus quatenus quilibet eorum quandocumq; fuerint requisiti per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumq; solemniter publicantes, ac dictis Fratribus, & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos, & quēlibet eorum præmissorum omnium, & singulorum effectu pacificè frui, & gaudere; non permittentes illos desuper à quoquam quauis auctoritate quomodolibet indebitè molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis: Non obstantibus fe. re. Bonifacij PP. VIII. Prędecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dūmodo vltra tres dietas, aliquis auctoritate præsentiū ad iudicium nō trahatur, alijsq; Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac eiusdem Ordinis, & singulorum illius Monasteriorum, & Conuentuum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini, illiusq; Superioribus, & Fratribus in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis, necnon omnibus illis, quæ supradicti Prædecessores in singulis eorum literis voluerunt non obstare, cæterisq; contrarijs quibuscumq;. Volumus autem, vt præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis prę-

senti-

ſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 30. Martij Milleſimo ſexcenteſimo ſexto, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Loco † Annulo.

M. Veſtrius Barbianus.

R O M AE,
Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſtolicæ.
M. D C V I.